



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Paphnvtivs M. 28. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

28. April. VITAE SANCTORVM. 209

vir, quam cum sic femina fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse; hanc vel fugam meruisse; esse certè in virgine ferro locum, si injuriæ non fuerit; sed nec animos deesse, quos cum armis sumpisset; demum si THEODORA addicta sit morti, THEODORAM se esse; si DIDYMVS, etiam hunc induisse. Contrà querebatur ille, ingratoram benefactori præmium invidere; arma se exuisse, non militem, stolam induisse, non feminam; turpe fore viro tergum vertere, si sic mulier pugnaret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis naturam dedisse; se denique (sive DIDYMVS jam esset, sive THEODORA) se ad mortem damnatum clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, & cernentibus causam lictoribus, ambo vicerunt. Ex D. Ambr. l. 2. de Virg.

*Virginitas fastigium est omniumque consummatio virtutum; ad quam si quis eniti potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum Magister agnoscat, hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia virtutem Dei cepit.* Lactant. l. 6. de vero cult.

S. PAPHNV TIVS. M. 28. Aprilis

PAPHNV TIVS Eremita, detectis à tutelari genio gentilium insidiis, facto divino sacrificio, ultrò in jus atque judicis conspectum ambulavit. Quem Sanguinarius canis tam foedam verberum laniam concerpfit, ut patefactis lateribus exta in terram effunderentur, quæ facer custos suis denuò receptaculis abdidit, vulnorumque hiatus obsepfit. Cum in vinculis miram luce micaret, XL. senatores veritatis claritate præstricti, unum ac verum Numen sunt professi, eamque ob causam  
flam.

flammis absorpti. Non multò post sedecim pueros senatorum filios ad tribunal adduxit, hæsitque alienato à sensibus in Deum animo : pueri in proposito constantes extincti. Piscatores octo supra quadraginta sic amore Christianorum sacrorum accendit, ut unà ad supplicium contenderint, jugulumque ferro subjecerint. PAPHNVTVS quadrifariam distractus, membraque in templi tectum jactata hominibus ludibrium, pabulumque fœdis avibus futura. At dissectas corporis partes Angelus conlavit, Christusque vitalem spiritum restituit. Cujus prodigii magnitudine multi ad Ecclesiam adjuncti, fidem sanguine consignarunt. Ad extremum, molâ ad collem deligatâ, in undas præcipitatur PAPHNVTVS. Sed pondere lapidis divinâ manu sustentato, cum mergi volens non posset, in crucem ætus eximiorum cetraminum in ea arbore, quæ fortes omnes coronat, palmam tulit. *Ex Metaphr.*

*Si sapias, in viâ, quâ numquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris, sed aurem Magistrâ inclinabis & increpationibus eorum acquiesces & consiliis; & operam scientiæ & lectioni dabis, ne serâ pœnitens dicas: Cur detestatus sum disciplinam? Guerr. f. de Advent.*

S. PETRVS M. 29. Aprilis.

PETRVS Veronæ parentibus hæreticis ortus, septimo ætatis anno duodena credendi capita in scholis perdiderat, itaque fixa animo retinebat, ut nullis unquam imperiis ad eorum veritatem improbandam compelli posset. Institutionem deinceps D. Dominici per vitam sectatus, speciosum Prædicatoris nomen rebus æquavit : quippe tanto populi studio frequentiaque concionabatur, ut

ægrè